hæc est *specifica* ratio diversitatis *metallorum & mineralium*. Deinde effluvia terrea *mineralia*, hoc quoque commune habent, quod in principio sui motus, cum nempe metalla præparant, *volatilia sint* & penetrantia; in fine vero, cum in metallicam soliditatem abierunt, *spissa* fiant, gravia & solida: & hoc ob causas, quas Sect. 7. hujus libri cap. de *soliditate & fluiditate* dabimus. Hoc quoque observandum est, præfata effluvia mineralia, circa finem sui motus, nempe circa *superficiem* terræ, subtiliora esse, quam in fundo; ratio enim dictitat, per longam illam transcolationem, vapores tandem subtiliores reddi. Econtra, depositis circa fundum crassioribus partibus, illum ipsum fundum, materia metallica, & mortalibus *grata fœculentia* abundare. Et hæc est ratio, quod circa fundum minerarum, mineræ plerumque copiosiores existant, & ditiores; vulgo, *die Ertzgänge seynd mächtiger in der Tieffe als an dem Tag:* eo, quod circa fundum terræ, aut in profundis ejusdem, *prima terra*, cujus sectione sequenti cap. 2. mentio fiet, *lapides* nempe vulgo *Quertz*, in quibus metalla generari, & concipi solent, copiosius reperiantur: qui ab ejusmodi inhalantibus vaporibus penetrantur, emolliuntur, vapores econtra per eos, tanquam filtratoria colantur, inspissantur, & *figuntur*. Cæterum non prætereundum esse arbitror, quod ejusmodi vapores certum *ordinem* in motu suo *a centro ad circumferentiam terræ* observent, quos motus metallicolæ *Witterungen* vocant. Cum ergo ex profundis, præfatos lapides, mineralia hæc effluvia centralia inhalant, *inhalationes* contingunt, quas metallicolæ in communi *Einwitterungen* vocant: quo nomine tamdiu gaudent, quamdiu metallum vulgo *den Zeug*, nempe materiam pro metallis, disponunt & præparant. Cum deinde metallum *perfectum* est, *quiescens* vocatur; vulgo *ein ruhend, schlaffend Ertz*. Cui, si præfata terrea *mineralia* centralia effluvia post perfectionem, etiamnum, & *plus justo* superveniunt, & accedunt, rursus id *revivisit*, & quasi resuscitatur. Unde *fixatum* metallum denuo extrahitur, *volatilisatur* atque *exhalat*; quod metallicolæ *auswittern* vocant, metallum vero exhalans *ein lebendig Metall* nominant: quod non secus ac frumentum, subinde revivisat atque avolet: superstitem autem vacuum & extractum lapidem, *ein todt Metall* vocant. Sed de his Sectione quarta latius agemus, hoc loco de effluviis centralibus igneis, aëreis, aqueis & terreis concludemus.

Sectionis secundæ Caput sextum

De motu perpetuo Naturæ, ubi, quæ in præcedentibus de motu aquæ & terræ subterraneæ dicta sunt, per exempla probantur, & invicem conferuntur.

SYNOPSIS.

N. 1. *Comparatio effluviorum centri terræ cum destillatione Chymica.* N. 2. *de singulari*